DISSERTATIO FRIDERICIANA
DE
IMAGINATIONE HOMINUM ET BRUTORUM.

Quam
CLEMENTISSIMIS SERENISSIMI
PRINCIPIS
AUSPICIIS
Publico eruditorum examini ſiſtunt

PRÆSES
WILH. HULDER. Waldſchmiedt/
D. Medic. & Philoſ. Experimentalis
Prof. Ordin. S. R. I. Academiæ N. C. Collega,
&
RESPONDENS
M. CHRISTOPHORUS OBERIUS,
Junecopiâ Suecus,

ad diem XIV. Decembr. MDCCI.
horis & loco conſuetis.

KILIÆ Holſatorum, Typis Bartholdi Reutheri
Academ. Typographi.

LXI 67 5

Pſalm XXXII. v. 9.

Nolite fieri ſicut eqvus & mulus, quibus non eſt intellectus.

I. N. J.

DE Phantaſia ſive hominum æque ac brutorum imaginatione, cum impræſentiarum agere ſit animus, operæ futurum pretium arbitror, ſi generalia quædam præmittantur, quibus lector conceptum rei adeo abſtruſæ magis adæquatum ſibi formare queat, totaque adeo tractatio clarior evadat atque evidentior. Ne vero ampliſſimo rei pertractandæ oceano nimis altè me committam, variorum circa definitionem ſententias compilare, atque refutandis iisdem inhærere nolo; notaſſe ſaltem ſufficiat, talem actionem, quæ menti imagines à ſenſibus externis in ſe depictas (propriè loquendo) exhibeat, ſociamque memoriam, ut fidam harum imaginum cuſtodem habere dicatur, nos plane non poſſe admittere, ſiquidem talia phantaſmata organis à ſenſuum objectis nunquam imprimantur, ſed ſolus omnino motus ab organo receptus, animæ dijudicandus offeratur, pro cujus diverſitate diverſos mens ſibi formet conceptus. Nemo enim crediderim adeò craſsè circa ſenſus philoſophabitur, ut credat cibos verbi gratia, aut eorum ſimulachra menti humanæ per imaginationem præſentia fieri, dum de fame vel ciborum appetitu cogitat; ſolus enim motus fibrillis nerveis, magno agmine in orificio ventriculi ſiniſtro (quod ſuperius vulgò dicitur) hærentibus impreſſus ſufficit, hic enim ſpirituum ope ad cerebrum

Generalia quædam præmittenda.

Phantaſia menti rerum imagines propriè non repræſentat.

Solus enim motus organo ab objecto impreſſus animæ offertur.

brum delatus, vi legis divinæ, ut certos in corpore motus certæ ſequantur in mente cogitationes, & viceverſa, ideam appetitus in mente producit, quæque proinde cauſam famis in ventriculo hærere ex conſuetudine judicat. Unde quidem apparet, non eſſe officium phantaſiæ *ſpecies ſenſibiles ſenſuum organis impreſſas, ſpirituum irradiatione introrſum traditas ſuscipere, res corporeas & ſingulares apprehendere, componere, dividere, & veluti enunciationes concipere & ſecum formare* (*a*) illud enim eſt impoſſibile, hoc ſolius intellectus negotium, à quo quam maxime differat imaginatio, è ſequentibus patebit. Neque inter ſenſus adeo convenienter refertur imaginatio, eſt enim aliquid à ſenſu evidentiſſime diſtinctum, quod ipſi *Ariſtoteli* innotuit; (b) omnis namque ſenſus organum requirit, virtus verò imaginandi ex tali organo non dependet, imo dum ſentimus, motus extremis fibrarum partibus in organis ſenſuum hærentibus impreſſi, ad mentem deferuntur, dum vero imaginamur, fibræ internæ in cerebro hærentes curſu ſpirituum animalium, aut alio quopiam modo agitantur, ita ut id, de quo mens judicat, non ſit extra cerebrum, ſed intra ipſum. (c) Ex quibus apparet malè quoque phanthaſiam dici ſenſum internum, externis oppoſitum, hancque ſenſuum diviſionem talo ſtare

Imaginatio non eſt ſenſus.

Nec ſenſus internus, externis oppoſitus.

quam

(*a*) Bruno Caſtell. renov. p. 713, (*b*) l. 3. de Anim. c. 3. p. m. 1414, (*c*) Malebranche de inquir. verit. l. 2. part. 1. c, 1. p. m. 78.

quam maxime infirmo, ſiquidem omnis ſenſatio fiat in anima; mens non organum ſentit, quia ſentire eſt cogitare, imò nemo ſentit quin ſe ſentire ſciat, & quia ſentiat eo momento ſciat: at verò cogitare, ſcire, vel conſcium eſſe, mentis non corporis eſt. Appoſitè hancin rem *Tertullianus*: Quid erit ſenſus, niſi ejus rei quæ ſentitur intellectus? Quid erit intellectus, niſi ejus rei quæ intelligitur ſenſus? Unde iſta tormenta cruciandæ ſimplicitatis, & ſuſpendendæ veritatis? Quis mihi exhibebit ſenſum non intelligentem, aut intellectum non ſentientem quod intelligit, ut probet alterum ſine altero eſſe (*d*).

Mens ſentit non organum.

Denique phantaſia differt ab intellectu puro, quod exemplo declarat *Carteſius*: cum enim triangulum imaginor, non tantum intelligo illud eſſe figuram tribus lineis comprehenſam, ſed ſimul etiam iſtas tres lineas tanquam præſentes acie mentis intueor, atque hoc eſt quod imaginari appello: ita ut nova animi contentione opus ſit ad imaginandum, qua non utor ad intelligendum, quæque eſt differentia inter imaginationem & intellectum purum (*e*).

Phantaſia differt ab intellectu.

Vidimus hactenus quid imaginatio ſeu phantaſia non ſit, nempè neque ſenſus neque intellectus purus, neque eandem menti imagines rerum propriè ſiſtere, nunc ſane ediſſerendum eſt quoque quid demum illa ſit? *Ariſtoteli* ab effectu audit καθ᾽ ὃ λέγομεν φάντασμά τι ἡμῖν γενέσθαι, *ſecundum*

Quid ſit Ariſtoteli.

(*d*) l. de anima (*e*) Medit. 6. p. m. 36.

dum quam phantaſma aliquod nobis fieri dicimus. (*f*) *Applicationem* vocat *Carteſius facultatis cognoſcitivæ ad corpus ſibi intimè præſens* (*g*), quod cerebrum eſſe contendit *Wittichius* (*h*): aliis eſt *applicatio mentis ad res corporeas intelligendas, mediantibus ſpirituum animalium determinationibus ſeu radiationibus, ad ſuperficiem ſenſorii communis pervenientibus* (*i*). Aliis verò aliter definitur. Nobis eſt *applicatio mentis, qua objectum abſens tanquam præſens ope certa ſpirituum animalium radiatione intuetur.*

Carteſio.

Aliis

Nobis

Notari autem velim, quod ſicut mens applicando ſeſe ad res corporeas intelligendas nonnunquam ſpirituum radiationem producit, cujus vi menti idea offertur, ita ſpiritus, vel ab objecto externo vel cauſa interna excitatos, certam curſus formam ſæpiſſimè ſuſcipere, quâ menti objecta abſentia repræſentantur, ita quidem ut imaginatio quæ nunc ab actione animi ſeu facultate ejus volendi oritur & paſſio eſt ſpirituum, alia vice poſſit eſſe actio ſpirituum, qua in mente producitur paſſio, quatenus vel mens excitat ſpiritus ad certam curſus formam ſubeundam, aut ſpiritus hi animales certo modo agitati mentem afficiunt, eidemque objectum abſens tanquam præſens ſiſtunt.

Mens in imaginatione nũc active. nunc paſſive ſe habet.

Imaginatio hæc tribus in homine abſolvitur gradibus, qui probè à ſe invicem ſunt diſtinguen-

Tres gradus imaginationis in homine.

(*f*) de anima. l. 3. c. 3. p. m. 1414. (*g*) l. c. (*h*) Not. ad Medit. Cart. p. m. 131, (*i*) Craan de homin. p. m. 575.

guendi; primus in motu corporeo ſpirituum animalium in cerebro nempè hoſpitantium radiatione conſiſtit, alter gradus eſt, quando mens ſe applicat ad iſtum motum, & inde occaſionem capit imaginem vel ideam ſibi formandi, tertius denique dum mens de re iſta judicat. Primus ille imaginationis gradus excitari poteſt ab objecti alicujus externi præſentia, cujus occaſione ſpiritus animales certum ſubeunt curſus formam, qua menti objectum abſens ſiſtunt, quod cum præſente aliquam ante vel ratione temporis, ordinis &c. habuit cognationem: vel ipſa etiam mens ſuis cogitationibus ſpiritus exagitare poteſt, ut priſtinam radiationis formam ſubeundo, menti præbeant occaſionem cogitandi de objecto abſente; imò ſanguis noſter, aut ipſi etiam animales ſpiritus ſivè ſecundum naturam, aut p. n. à quacunque demum cauſa agitati, ſi portionem ſpirituum in cerebro conſtitutorum in certam radiationem abripiant, variis phantaſiis ortum præbere poſſunt, prout id ipſum in ægris nonſolum, morbis potiſſimum calidioribus detentis, ſed ſanis quoque vigilantibus, præſertim autem dormientibus quotidiè obſervamus, quibus varia per ſomnia offeruntur phantaſmata, hinc imaginari pro ſomniare acceptum eſſe leges de ſomnio *C. Fannii* apud *Plinium*: *Mox imaginatus eſt veniſſe Neronem.* (k) Et *Suetonius* refert, *Calpurniam* uxorem

A qua cauſa excitetur imaginatio?

rem

(k) Plin. epiſt.

rem collabi faſtigium domus imaginatam eſſe (*l*), id eſt ſomniaſſe.

Differt à memoria animali, non verò intellectuali.

Imaginatio hæc, quando per certam ſpirituum animalium radiationem menti quaſi præſentem ſiſtit conceptum formalem rei cujusdam objectivè antea miniſterio ſenſuum perceptæ, à memoria intellectuali penitus non differt, diſtinguenda tamen eſt à memoria corporali vel animali, quatenus hæc ipſa non eſt facultas animæ ſive mentis, ſed facilitas quædam quæ reperitur in cerebro ad hoc, ut virtute ſpirituum animalium iterum aperiantur pori cerebri olim aperti ad ſpecierum, (ut loquuntur) corporearum renovationem, qui ſanè actus memoriæ mere animalis, non confundendus eſt cum intellectuali, quem reminiſcentiam propriè vocare licet, atque in hoc conſiſtit, quod priſtinos ſpirituum motus in cerebro per ſpecies rerum corporearum renovando, ſe jam olim de iſtis rebus cogitaſſe advertat anima, in quo ſolo actu reflexo hanc quærendam eſſe differentiam, facilè apparet.

Differentia inter reminiſcentiam & memoriam.

Actum huc usque eſt de imaginatione in genere, ubi talia quidem in re adeo intricata nos protuliſſe confidimus, quæ ſequenti tractationi majorem lucem conciliatura: nec enim integrum de imaginatione tractatum conſcribere lubet nec licet, ordinis namque & propoſiti ratio ad vires imaginationis nos ducit, quas quidem nemo facilè vocabit in dubium, cum quotidia-

(*l*) in vita Julii Cæſar.

tationes in corpora hominum obtineat eadem: ne tamen in ipſa probatione deficere videamur, conſulamus prius authoritates, deinde obſervationes & hiſtoriæ quædam ſelectiores in ſubſidium prodeant. Notandum autem eſt ſtatim in limine, triplicem potiſſimum effectum adſcribi phantaſiæ, *primò* in corpus proprium, *ſecundo* in corpus alienum externum, & *tertio* in corpus alienum ſed propinquum, ſeu fœtum, de quibus ſingulis jam ſigillatim erit agendum. *Triplex Phantaſiæ effectus.*

I. In corpus proprium Quantum igitur ad corpus proprium ſivè alterandum ſivè immutandum conferat Phantaſia; D. *Thomas* haud obſcurè innuit docendo: imaginationem effectus producere absque cauſis propriis eorundem, ex eo quod ſi homo aliquid imaginetur & vehementer afficiatur, mutationem in corpore ad ſanitatem vel ægritudinem ſequi (*m*); quod ipſum tamen mediantibus paſſionibus fieri potiſſimum cenſemus. Quis enim neſcit, illos plerumque qui peſtis tempore malum reformidant, aut terrore percelluntur, eodem plerumque ſuccumbere? *Morbos producendo.* Idemque in aliis, & præſertim acutis morbis fieri, ego vel propria multiplici, & aliorum experientia poſſem, ſi opus foret, probare: conſulat cui lubet obſervationes *Marcelli Donati*, (*n*) celeberrimi *Pechlini* (*o*) aliorumque, qui omnes uno ore teſtantur, morbos non ſolum, ſed ipſam mor-

 tem

(*m*) 3. contr. gent. c. 99. (*n*) l. 2. hiſt. med. mirab. c. 2. (*o*) l. 4. obſ. 16. 23. 24.

tem imaginatione fuiſſe accitam. Videatur *Scholzius* (*p*) *&* *Kerkringius* (*q*). Lepidum ſanè hujus rei exemplum de conterraneo quodam meo, Theologiæ ſtudioſo, & convictore olim in Academia Lugdunenſi in Batavis occurrit, hoc loco non reticendum: huic, cum pleno ſemper appetitu ad menſam accederet, & corporis habitu athletico firmam oſtentaret ſanitatem, ſe minus rectè valere multis rationibus perſuadere conabamur, quod ex mutato vultus colore & ciborum nauſea nos dijudicare poſſe fingebamus; annuit tandem ille noſtris perſuaſionibus, & ex biduo ſeſe jam male habere aſſerit, reverſus domum lecto ſe addicit, poſteroque die tertiana corripitur, non ſine riſu à nobis poſtmodum admonitus, nos nullam in eo obſervaſſe mutationem, ſed joci ergò omnia hæc fuiſſe conficta, quæ tamen perſuaſio non obſtitit, quo minus per plures ſeptimanas cum morbo ipſi fuerit confligandum: cujusmodi exempla plura afferre poſſem, niſi ulterius pergendum foret. Quod ſi quis contendat, per accidens ſaltem, & mediante animi paſſione hic agere phantaſiam, quatenus nempe terror, vel alia quædam animi commotio vehementior, ab imaginatione orta, latentes in corpore humores cacochymicos moveat, non uſq; adeò refragabor, cū cauſa remota & quæ procatarcticæ medicis dicuntur, è cauſarum numero haud temere ſint excludendæ.

Hiſtoria.

Phantaſia operatur per accidens.

Sed

(*p*) Eph. N. C. Dec. 1. Anu: 2, obſ. 138. (*q*) Spicil. anat. obſ. 41.

Sed difficilior forte erit illa de imaginatione morborum curatrice, controverſia, an nempe phantaſia, quam morbos inducere jam modo diximus, iisdem quoque poſſit mederi? Certè ſi hiſtoriis & paſſim hac de re obviis obſervationibus fidem prorſus denegare non velimus, nemo inficiari poterit, morbos quam plurimos ſola imaginatione fuiſſe curatos, adeò quidem, ut vel ſola verba metum aut terrorem incutientia, immodicum ſanguinis profluvium cohibeant. Empiricus quidam Coloniæ Agrippinæ hæmorrhagiam in mercatore quodam terrore curabat, dum enim fores intrabat, ſequentia verba alta voce proferebat: Was plagt ihr den guten Herrn / er iſt des Todes / laſt ihn ſeinen letzten Willen gegen GOTT und Menſchen abfaſſen denn er hat keine Zeit mehr übrig. (r) Quid ægri de medico confidentia operetur, ſuo jam tempore agnovit *Galenus*; hanc enim plurimum facere ad ſalutem ſe in ſe ipſo expertum eſſe dicit, & propterea illum medicum melius ſanaturum, qui melius perſuadere poterit: (s) & *Marſilius* ille *Ficinus*, Philoſophus Platonicus magnam vim hujusmodi confidentiæ adſcribit. (t) Imò Praxis quotidiana teſtatur abundè, morbos ſat graves remediis etiam levioribus, accedente ægri in medicum fiducia, ſatis promptè ceſſiſſe, ita quidem ut cum magni nominis medicus ægrotorum cuidam, qui ſæpius quam opus erat, medica-

An morbos profligare valeat?

affirmatur

exemplũ.

Ægri de medico confidentia.

exemplũ

(r) Freiberg. recreat. menſal. Dial. 14. p. 346. (s) l. prognoſt. (t) l. 13. theol. Plat. c. 1.

dicamenta ab eodem deſiderabat ; tres ex pane ſimilagineo formatas pilulas miſerit , & pro magno venditaverit arcano , dictis credens , plus inde levaminis ſenſerit , quam ex ullo alio remedio. (*u*) Norunt idipſum optimè nebulones iſti (mitius enim vocabulum non occurrit) qui ut credulorum crumenas emungant , ſub medicorum habitu velut hiſtriones in artis diviniſſimæ ſacra, tanquam porci in vineta irruunt, & ut famam ſibi acquirant verboſis utuntur ſtrophis, prout *Phædrus* appoſitè loquitur , (*v*) quorum equidem proprium eſt , nitidè veſtiri , ſtrenuè mentiri , & audacter occidere ; mendaciis quippe ſuis imperitam non ſolum plebem ; ſed ipſos etiam magnates ad admirationem uſque exercent , credularumque anicularum mentes ſurripiunt , ut capta harum benevolentia , ceu per tubicines eorum in occidendo felicitas , in curatione verò morborum etiam inſanabilium ſtultitia , prudentia inquam , in urbem diffundatur. Tot mortuos reſuſcitarunt, tot hydropicos ab aquis liberarunt , tot hydras ex capite , tot dolia ex ſcroto eduxerunt; tot agonizantes priſtinæ valetudini reddiderunt ; tot phthiſicos pingueſcere fecerunt , ut contra obeſitatem nimiam tandem remedia petere , fameque & abſtinentia à cibo ſe corrigere neceſſe habuerint : idque omne unico colloquio juxta *Senecam* (*w*) præſtiterunt , & tandem

Imaginatio obſtetricatur medicaſtris.

(*u*) Riedl. lin. Med. Ana. 95. pag. 264. (*v*) l. 1. f. 14. (*w*) Ep. 2. l. 6.

dem in ſinu ſuo reconditam, ceu in arcula gerere ſanitatem & morbos majeſtatica *Fabii*, pacem bellumque geſtantis voce ediſſerunt: in hoc ergo ſinu ſanitatem proſperam & adverſam porto, utram eligitis? prout ſpurios Medicæ artis vivis coloribus depingit *Antonius Maria Coſpi* (x). Ut verò majorem ſibi concilient fiduciam, aut Doctores ſe mentiuntur, aut Licentiam ſe ſaltem impetraſſe (in Utopiâ forte) fingunt, quamvis chirurgorum ſeu collegio ſeu ſocietati adſcripti, unguentariam in patria exerceant tabernam, in quos ſanè quadrat illud *Martialis*:

Chirurgus fuerat, nunc eſt veſpillo Diaulus,
Cœpit quo poterat, clinicus eſſe modo (y)

Sed quid hæc ad imaginationem? dices, ſicut verô indignatio verſum quandoque extorquet, ita medicis adverſa lugenda ſunt fata, quod eorundem exiſtimatio & fama opinione & imaginatione aliorum æſtimetur, quibus tamen Deus aliquando finem dabit, ipſique homines tandem per propria damna reſipiſcent: Ego hoc volui oſtendere, ægri fiducia & imaginatione felices nonnunquam evadere medicaſtros, dum loquacitate fiduciam generant in animo ægri, unde quædam oritur hilaritas, quâ excitantur ſpiritus, ſanguinis in circulum motus promovetur, calor augetur: vel hæc ipſa confidentia ægrum præceptis ob- *ratio quomodo hic operetur.*

 tem-

(x) tr. il giudice criminaliſta part. 3. c. 46. p. 547. (y) L. 6. p. 173.

temperare, & quævis remedia hilari animo aſſumere jubet, quo fit, ut cum illa morbus facilius profligetur. Ex quibus equidem apparet, per accidens hic quoque operare phantaſiam ſicut metu aut terrore morbos ſuiſſe curatos paſſim legimus: (z) ea quippe eſt imaginationis & vehementiorum animi affectuum ratio, ut liquorem nerveum ſeu ſpiritus animales vehementius commoveant, qui dum in muſculos & ſanguinem agunt, circulationem augent, lentorem & viſciditatem corrigunt, frequenti verò ſanguinis & humorum impulſu viſcerum obſtructiones reſolvunt & ita morbi profligantur.

Imaginatio per accidens medetur morbis, & mediantibus affectib9.

An verò imaginatio hominis in corpus alienum externum & remotum operetur, atque in eo alterationem quandam, ſalutarem noxiamve producere poſſit? hoc profectò eſt altioris indaginis. *Ebn Sina* certè, quem *Avicennam* vocant, diſertis idipſum verbis affirmat, poſſe nempè phantaſiam in res externas agere, poſſe illas alterare, & pro imperio permutare, adeò ut etiam agere poſſit in diſtans ſinè medio, res longè diſſitas permutare & movere, non permutando intermedias; & poſſe hominem longè remotum morbis afficere, ex equo dejicere, interimere, pluvias & nubes excitare, non quidem omnem animam, ſed illam quæ nobilior fuerit & magis ſpiritualis ut loquitur, & à fæce corporea abſtracta. (*aa*) Atque hunc præter alios ſequuti ſunt *Paracelſus* (*bb*) & *Cornelius Agrippa*

II. An agat in corpus alienum externũ? Affirmantium opinio.

(z) Cel. Pechlin, l. 4. Obſ. 22. 23. 24. (*aa*) 6. natural. ſect. 4. c. 4. (*bb*) l. de imaginatione.

grippa , quorum ultimus animam fortiter elevatam, ac vehementi imaginatione accenſam , mutare ſanitatem vel ægritudinem non ſolum in corpore proprio, ſed etiam in corporibus alienis ſcribit. (*cc*) Præterquam verò quod omnia illa, quæ de operatione imaginationis in corpus alienum, vel faſcinatione per imaginationẽ introducta paſſim leguntur, ſufficienter refutaverit *Fienus* (*dd*) & *Frommannus* (*ee*), dogma hoc falſiſſimum & homine Chriſtiano & Philoſopho maxime indignum merito cum aliis (*ff*) exiſtimamus , ſiquidem cognoſcens facultas ſe non magis extra proprium corpus ulla exſerat ἐνεργείᾳ, quàm ex alterius cognitione ſola & immediata exercitatior quiſpiam vel doctoir evadit. Imò ſi ea eſſet phantaſiæ efficacia, ut corpora extra ſe immutaret, poſſent hoc vel univerſi homines, vel ſaltem ſapientes & pii, at hi nec totum diem vel menſem etiam imaginando vel feſtucam valent immutare, (*gg*) multò minus objecta externa alterare, lædere; aut quocunque modo afficere , unde nugas haſce & anicularum ſomnia ſuis meritò authoribus relinquimus.

Dogma falſum impium & philoſopho indignum.

Pergimus potius ad illa, quæ firmior experientia dudum probavit; agere nempe imaginationem in corpus alienum ſed propinquum , & arctiori vinculo cum proprio ligatum , fœtum nempe in utero materno contentum , ita quidem

III. Imaginatio agit in corpꝰ alienũ, ſed propinquum.

(*cc*) l. 1. occ. philoſ. c. 65. (*dd*) eleganti Tr. de viribus imagin. Qu. 12. p. 181. (*ee*) de faſcinat. p. 420. (*ff* Marc. Donat. l. 2. c. 2. de medic. hiſtor. mirab. (*gg*) Voſſ. Idol. l. 3. c. 31.

dem , ut non ſolum phantaſiæ impreſſiones vehementiores, ab objecto quodam externo ſive nimis deſiderato aut abominabili factæ non ſolũ, ſed ipſa quoque matris vitia , imaginatione ſola in fœtum quandoque propagentur , cujus rei evidens teſtimonium perhibet hiſtoria gravidæ ; quæ imprægnationis tempore vaſculum zingibere condito refertum mercatori cuidam Lipſienſi ſurripuerat, cujus deinde filiolus ſervis, ancillis varia utenſilia, v.g. digitalia, acus , fila, ſtrophiola, calceos, non malitia , ſed aſvetudine & hæreditario ſibi vitio ſubtrahere, & certum in conclave includere ſolitus eſt. (*hh*) Hæc verò vis phantaſiæ immutandi fœtum, opinione omnium ferè hominum, & authoritatibus infinitis facilè probari poteſt ; ſufficiant paucorum teſtimonia , ipſius nempè *Hippocratis*, dicentis : deſiderium mulieris prægnantis poſſe fœtum ſignare, (*ii*) & *Galenus* imaginationem & aſpectum pulchræ picturæ poſſe mutare fœtum , eundemque rei imaginatæ ſimilem facere ; (*kk*) & *Plinius*: cogitationes & hauſtas ſub conceptu imagines effingere ſimilitudinem fœtus docet (*ll*). Atque hæc opinio adeò vulgata erat apud antiquos , ut ipſe *Heſiodus*, poeta antiquiſſimus præceperit, ne quis à funere rediens , liberis operam daret, ne imaginatio rei triſtis in prolem tranſiret , his verbis :

probatur authoritate.

Μήδ' ἀπὸ δυσφήμοιο τάφου ἀπονοστήσαντα,
Σπερμαίνειν γενυετὴν, ἀλλ' ἀθανάτων ἀπὸ δαιτός (*mm*)

Taceo

(*hh*) Salmuth. Cent. 2. obſ. 38. (*ii*) l. de ſuperfœt. (*kk*) l. de theriac ad Piſ. (*ll*) 7. hiſt. 1. c. 12. (*mm*) l. 2, de operib. & dieb.

Taceo hac vice plures alios ; philoſophos, medicos, hiſtoricos, quos ſi cui lubet, magno numero citatos ſiſtet *Thomas Fienus* (*nn*) & alii. (*oo*) Quod ſi experientiam velimus conſulere, integra obſervationum plauſtra in mediũ producere poſſemus, quod ipſum, cum nihil aliud ſit, quam præter neceſſitatem & tempus & chartam perdere, è ſelectioribus quasdam ſaltẽ adducere placet, quæ omnes, cum ad tres potiſſimum claſſes commodè reducantur, habito ſcilicet temporis, quo in fœtum agit imaginatio reſpectu, de ſingulis mox agam, & quidem primò de iſtis phantaſiæ effectibus, quos exerit in fœtum ipſo conceptionis momento; conſtat namq; curioſiore obſervatione, ſi tempore conceptionis aut coitus figura quædam aut imago perſonæ cujusdam, menti parentum obverſetur, aut oculis etiam exponatur, natum ſimilem nonnunquam fieri rei imaginatæ. Hinc *Quintilianus* mulierem quandam â ſuſpicione adulterii, quæ nigram ex albo parente prolem pepererat per hoc liberavit, quod in cubiculo pictura æthiopis pependiſſet, quam attentius conſideraſſet, teſtante *Cœlio Rhodigino*; (*pp*) & *Galenus* ſcribit, virum divitem, cum deformis eſſet, juſſiſſe uxorẽ ut tempore conceptionis inſpiceret pulchram picturam, & exinde eam poſtmodum pulchram prolem picturæ ſimilem edidiſſe. (*qq*) Imò non ſine horrore legitur apud *Ludovicum Vives*, morum illum Magiſtrum,

Vires imaginationis in momento conceptionis.

 hiſto-

(*nn*) l. c. p. 195. (*oo*) Fromm. de faſcin. Dygbæus &c. (*pp*) an- (q. lect. l. 20. c. 15. (*qq*) l. c.

hiſtoria viri Sylvæducenſis , qui dæmonem publicis ludis exhibuerat , domumque reverſus ſcenicis veſtibus adhuc indutus rem cum uxore habuiſſe , ipſamque deterritam fœtum diabolica præditum figura, produxiſſe. (*rr*) In Galliis in Royera ſylva , ad fontem Bellæ aquæ natum fuiſſe monſtrum facie ranæ, ex eo quod mater ipſa nocte aliqua concepit, ranam contra febrem manibus alligatam habuiſſet, refert *Paræus*; (*ss*) cujus equidem farinæ plures obſervationes huc transferre poſſem, niſi res per ſe adeò nota ſit , ut communi quoque adagio, *filium* nempè *ex adultera natum, excuſare matrem à crimine*, præbuerit occaſionem, cum filii ex adulterio nati plerumque magis ſimiles ſint adulteræ marito, quam vero genitori, eò quod mater continuo de marito cogitans, metuendo ne ab eo deprehendatur, illa imaginatione natum magis ſimilem marito reddat, ita exiſtimante *Fieno*. (*tt*)

Filiꝰ adulteræ matrem excuſat à crimine. ratio.

Neque tamen quenquam exiſtimare velim , ſolius matris imaginationem agere in fœtum , ſed prout pater æq; ac mater eſt filii cauſa efficiens, ita etiam iſtius imaginatio ad ſignandum fœtum nonnunquam concurrit teſte *Ariſtotele* , ſicut enim, inquit, pater materque in conceptu affecti fuerint, ita partus variatur; (*uu*) & *Plinius* cogitationem utriuſlibet, (patris nempè & matris) effingere ſimilitudinem in fœtu affirmat. (*vv*) Hæc autem ſenten-

patris imaginatio tempore conceptionis etiam ſignat.

ten-

(*rr*) com. ad. cap. 25. l. 13. Aug. de civ. Dei. (*ss*) l. 24. c. 7. chirurg. (*tt*) l. c. p. 196. (*uu*) ſect. 10. probl. 12. (*vv*) l. 7. c. 12.

tentia ita merito reſtringenda eſt, ut patris imaginatio & effectus ejus, non ultra conceptus momentum extendatur, cum matris phantaſia facta etiam conceptione & formationis tempore operetur.

Notari inſuper velim, rariorem eſſe ſub ipſo conceptionis momento phantaſiæ effectum, & ſignaturam vel notas frequentius imprimi geſtationis aut formationis tempore, hoc enim ratio ſuadet, quia plerumque in actu venereo nulla adeſt occaſio idonea aliquid imaginandi, ex quo aut terror, aut deſiderium aliquod inſigne ſequi poſſit, animis parentum in aliud quid intentis: ipſaque experientia docet, mulieres tempore formationis deterritas, aut alia quadam ratione vehementer affectas, ſæpius produxiſſe fœtus ſignatos, quod equidem haud adeò frequenter ex imaginatione, conceptus tempore facta contigiſſe legimus. Et effectuũ quidem phantaſiæ formationis menſibus potiſſimum obſervatorum, exempla legi poſſunt apud *Fienum* (*ww*) *Caſparum à Reyes* (*xx*) & plures alios, ſelectiora ſaltem nonnulla hic adducam; de infantulo nempe plagam in dorſo habente ac ſi â glande tormentaria inflicta, quod mater ejus exploſa bombarda perterrefacta fuiſſet, conſulatur *Fabricius Hildanus.* (*yy*) Puerum ſinè teſtibus natum, quod mater gravida herniotomum viderat, ſiſtit *Riedlinus*: (zz) fœtus cum tumore ab oſſe ſacro pendulo, à viſo

Imaginatio frequentius operatur in fœtum formationis tempore.

(*ww*) l. c. p. 197. (*xx*) camp. elyſ. qu. 50. (*yy*) Cent. 6. obſ. 65. 66. (*zz*) Cent. obſ. med. obſ. 78.

ventriculo ſuillo, lardo & cruore infarcto, (aaa) item cum capite aquilino, ex conſideratione aquilarum, (bbb) muriformis ex terrore, (ccc) monſtroſi admodum viſo puero epileptico & abortu vitulino, (ddd) & aliorum plurium hiſtorias leges *in Ephemeridibus Naturæ Curioſorum*.

caſus maxime notabilis. Maximè autem notabilis eſt caſus juvenis cujusdam, cujus meminit *Malebranche* teſtis oculatus, his verbis: Septem aut octo abhinc annis Pariſiis in noſocomio dicto des incurables, juvenis erat ab ortu mente captus, omnibusque fractus membris, quibus rei frangi ſolent. Per viginti pene annos in eo ſtatu vixit. Non pauci illum viderunt, & ipſa defuncta Regina, Regis noſtri mater illud noſodochium inviſens, illum juvenem videndi, ipſiusque brachia & crura ubi erant confracta contrectandi curioſitate ducta eſt. Hujusce infortunii hæc fuit cauſa, nempe cum ipſius mater reum mox crurifragio plectendum eſſe accepiſſet, iſtius ſupplicii teſtis oculata eſſe voluit, unde factum ut membra fœtus fortiſſima matris imaginatione, iiſdem partibus quibus reus, quem mater ultima patientem conſpexerat, confracta fuerint. (eee)

Matris inclinationes tranſeunt in fœtum. Imo quod magis mirandum, matris inclinationes, aut vehementiores animi paſſiones, ſympathiæ, antipathiæ (ut audiunt) notabiles fœtui inprimunt characteres, ita ut mater caſeum reformidans, filium plerumque generet caſeum fu-

(aa) Eph. D. 2. Ann. 8. p. 384. (bbb) ib. p. 291. (ccc) D. 2. Ann. 2. p. 366. (ddd) ib. p. 316. (eee) de inquir. verit. p. 95.

fugientem, aut ſi mater araneas, buſones aut alia inſecta odio habuerit, eadem antipathia in filium tranſeat, & viſis objectis quæ terrorem matri incuſſerant, exhorreſcat itidem natus, quod ipſum de Rege Angliæ *Jacobo Primo* legimus, cum enim mater ejus *Maria Stuart* eum in utero geſtaret, nonnulli Scotiæ Magnates cubiculum ingreſſi ipſius Secretarium gente Italum, ipſa rem conſpiciente confoderunt, terror inde ortus in ipſius imaginatione tam alta impreſſit veſtigia, ut infanti quem utero geſtabat communicarentur, adeò ut Rex *Jacobus* per totam vitam gladium ſtrictum conſpicere non fuerit auſus, quod ipſum non ſine periculo expertus eſt *Dygbæus*, cum inſtitutus fuit eques, quippe Rex gladium quo ejus humerum attingere debuiſſet, in faciem recta divertit, & niſi quis de induſtria Regis manum deduxiſſet, Equitem ſauciaſſet. (fff)

Ex quibus omnibus apparet, quam facilè, hoc potiſſimum tempore phantaſia notas fœtui imprimat, cui tamen ultimis geſtationis menſibus, & membris durioribus factis jamque formatis non omnem denegare poſſumus efficaciam; hac tamen cum differentia, ut non adeò promptè agat, neque partes jam formatas penitus corrumpat aut deſtruat, ſed alium colorem, nævos, pilos, aut maculas ſaltem introducat, item excreſcentias carneas, uvas aut ceraſa imitantes; unde rectè monet laudatus nobis ſæpius *Fienus* quaſdam ſignaturas

Phãtaſia ultimis menſibus aliquam ſaltem ſed leviorem vim obtinet.

(*fff*) Dygb. de pulv. ſympath.

turas omni tempore, quaſdam non niſi in principio poſſe induci: (ggg) in fine enim prægnationis & formatis jam partibus, phantaſia non tantam obtinet vim ad eas deformandas, quam ſi molles eædem & flexiles adhuc ſunt; multo minus jam perfectas abolere penitus poteſt. Facile igitur apparet, quid de hiſtoria uxoris cujusdam mercatoris *Helmontio* cognitæ ſit ſtatuendum; hæc ut audivit quod uno mane decapitarentur (loquor verbis authoris) tredecim (tempore Ducis Albani contigit Antwerpiæ) ſtatuit ſpectare detruncationes. Adſcendit ergo cubiculum familiaris ſibi viduæ, in foro morantis, viſoque ſpectaculo ſtatim illam adorſus eſt dolor parturientis, peperitque maturum infantem cruento collo, cujus caput nusquam apparuit. (hhh) Talia namque vires imaginationis ſuperant, quamvis *Deuſingius*, in reddenda inſoliti hujus effectus ratione, mirè ſe torqueat; dum putat, mutata partis formatæ diſpoſitione per vires imaginationis, mediantibus ſpiritibus & humoribus, ſenſim deinceps ſpirituum ac ſanguinis in eam partem influxu eandem ipſam reſolvi, ſenſimque diſſipari. (iii) Quis verò modum hujus annihilationis perveſtigabit? Siquidem imaginatio, quæ ſpecierum mater dicitur, ſubſtantias nec producat, nec annihilet, nec inferiorum facultatum ope, id efficere valeat?

non poteſt abolere partes jam perfectas.

Quo-

(ggg) l. c. p. 299. *(hhh)* Helm. Tr. de injectis material. *(iii)* in examin. pulv. Sympath.

Quomodo autē inſoliti iſti effectus à phantaſia producantur, non usque adeò facile explicari poteſt, unde quidem minus mirandum eſt, ſi in re abſtruſiore authores inter ſe maxime varient, aut dum nimis curioſi ſunt, fiant plane obſcuri: illa enim quæ *ab Avicenna* (kkk) & *Auguſtino* (lll) de actione phantaſiæ in facultatem animæ formatricem dicuntur, obſcura planè ſunt, imò falſa, ſi quidem anima matris, ad fœtus formationem nihil plane conferat, neque à voluntate matris dependeat aut conceptio aut formatio fœtus, alias proſtibula pro arbitrio conceptionem aut fœtus incrementum prohibere, & impunè veneri litare poſſent. Dependet potius ille effectus à motu, ſpiritibus animalibus per imaginationem impreſſo, qui proinde impetu quodam ad partes, tum matris tum ipſius fœtus determinantur, atque in iisdem locis ubi vel macula viſa eſt, vel vulnus, vel plaga; tenellulo & molli corpori ſimilem imprimunt notam, in matris vero membris, propter duritiem nihil vel parum certè efficere poſſunt. Sin verò mater eo momento, quo v. gr. terrorem concipit, occultā quandam partem tangat, nævus qui faciei forte imprimendus erat, iſti loco, quem tetigit imprimitur, ſiquidem ſpiritus nova mentis cogitatione ad iſtā partem fortius determinentur, aliamq; curſ9 viam ſubeant. Eſt autem opus hoc adeò arduum, ut adumbrari ſaltem, & ſublimioribus meditationibus facilius attingi, quam verbis explicari poſſit, hinc

Quomodo imaginatio agat.

per motum ſpirituum.

(*kkk*) l. 3. f. 21. tr. 1. c. 6. (*lll*) l. 3. de trinit. c. 8.

quædam obſervanda ad rem hanc melius intelligendam

hinc obſervandum erit, (1) quod fluida imagines rerum, vel motum ab iis impreſſum facile recipiant; (2) quod ſtupendum illud flumen animale in noſtro corpore, æque certam aliquam radiationem & curſus formam, h. e. imaginem, ab objecti & mentis determinationibus ſuſcipiat; (3) Quod occaſione viſionis, ſpiritus animales certam curſus formam nanciſcantur, quandam cum objecto ſimilitudinem habentem. (4) Quod inter motus & alterationes matris, & inter infantem in utero contentum adeò arcta ſit connexio, ut hic omnibus vehementioribus animi paſſionibus matris, non ſine ſui periculo, ſit expoſitus. E quibus apparet, quod mens ex aſpectu horridi alicujus objecti conquaſſata (ſit verbo venia) & vehementer afflicta, ſpiritibus animalibus ſimilem jungat imaginem, ſivè quod tunc mirabile illud, cerebri & nervorum flumen à mente ad ſimilem curſus formam determinetur, atque totum corpus matris, cum appendice, hoc eſt fœtu fulminis inſtar tranſeat, huicque ob mollitiem & flexibilitatem partium, ſimilem imprimat imaginem. (*mmm*)

Hæc quæ de imaginatione hominum ejusque viribus, in antecedentibus tradita ſunt, hoc loco ſufficiant, dabitur fortè alibi eandem materiam fuſius pertractandi, & pro dignitate expendendi occaſio, impræſentiarum de brutorum imaginatione quædam ſubjungenda erunt, qua quidem bruta gaudere ex actionibus eorundem, & mirandis effectibus

(*mmm*) Vid. Waldſchm. p. m. epiſt. 2. ad Dol. p. 47.

ctibus dijudicare quilibet facile poteſt. Ipſe *Ariſtoteles* (*nnn*) & *Plinius* (*ooo*) brutis imaginationem tribuunt, quam tamen minus vagam & celerem eſſe quam in homine exiſtimant: & *D. Auguſtinus* rationem reddens, cur apud Ægyptios nunquam deeſſet bos variis maculis notatus, quem Apim appellabant, dicit id factum fuiſſe vi imaginationis vaccæ coeuntis, dæmone ſimiles ſpecies objiciente. (*ppp*) Quicquid tamen eſt, ipſa experientia idem probat: nolo ipſius *Jacobi* Patriarchæ, qui virgas virides hinc inde decorticando, ut variegati eſſent coloris, poſuit in canalibus aquarum, unde oves fœtus varii coloris produxerint exemplum (*qqq*) in ſubſidium vocare, hæc etenim cauſa nullam habet proportionem cum effectu, ipſiusque Dei digitus hic cooperaſſe videtur. Sunt tamen alia exempla quibus imaginationem brutorum probare poſſumus, præſertim ex *Cœlio Rhodigino* qui dicit, equiſones in Hiſpania ſolere equos immutare, & generoſos ſibi procurare, objiciendo oculis concipientium equarum equos valde generoſos, quorum imaginatione ipſæ ſimiles producunt (*rrr*). Quod ipſum ab *Oppiano* ſequentibus verſibus exprimitur: *Exempla.*

Inque utero matris pulli variare colores
Poſſunt, (humanæ quanta eſt ſolertia mentis,
Quales exſpectant pretioſo corpore pullos
Efficere!) & tumida quando geſtatur in alvo.
Saucia dum mater violento flagrat amore,
Et formoſus eam præſto admiſſarius ardet.
Magnanimem ſiquidem diſcriminat ante maritũ,

D Et

(*nnn*) ſect. 10. probl. 12. (*ooo*) l. 7. h. c. 12. (*ppp*) de civit. Dei l. 28. (*qqq*) Gen, 30. v. 37. (*rrr*) antiq. lect. l. 15. c. 20.

Et tergum varius pigmentis pingit equiſo:
In thalamos tandem adducunt ſplendore ſuperbū.
Tum mater gignit maculoſum corpore pullum,
Concipiens oculis objectos mille colores. (*sss*)

Et ab amico fide digno habeo, ultimum Comitem Oldenburgicum *Anthonium Guntherum*, eodem artificio, equos vario colore ſignatos, ſibi procuraſſe, equam enim congreſſus tempore ad tabulam in qua equ9 deſideratis coloribus depictus erat deduxiſſe, & remotis in ipſo coitu cum ſtrepitu ſipariis, picturam in momento oculis exhibuiſſe, unde pullus vario colore tingebatur. Quod ipſum experimentum *Helmontius Junior* paulo aliis circumſtantiis deſcribit: Wann wir einen weiſſen Hengſt nehmen / und ihn künſtlich bundfleckicht machen/und ihn an das Ende eines Waſſertheiches hinſtellen / und querwerts des Waſſers/ vermittelſt eines Stück Tuch oder dergleichen eine ſcheidung machen/ und an der andern Seite des Waſſers gegen über dem Hengſt eine Stute ſtellen / dergeſtalt daß ſie einander nicht ſehen können als im Waſſer / ſo wir nun etliche Tage ſie alſo ſtehen laſſen/ein jedweden auff ſeinem ort feſt gebunden / biß die Luſt eines gegen dem andern ſtarck und hefftig wird / und alßdann den Hengſt loßmachen / und ihn die Stutte beſpringen laſſen / ſo wird die Stutte ein füllen werffen / deſſen Farbe dem durch Kunſt gemahlten Hengſt gleich ſeyn wird. (*ttt*) Quid vero opus eſt aliorum citare experientiam, quando propria non deſtituimur? Vidi anno ſeculi ſuperioris octogeſimo ſexto in aula *Se-*

(*sss*). l. de venatione. (*ttt*) Fr. Merc. ab Helmont. ungemeine Meinungen vom Macroc. und Microc p. 183.

Sereniſſimi Landgravii Haſſo-Caſſellani, Domini mei Clementiſſimi, pullum equinum camelo ex parte ſimilem, auribus enim, cauda & colore corporis camelum æmulabatur, reliquis partibus equus, idque ea de cauſa, quod equa utero geſtans ab obviis ſibi camelis, quos laudatus modo Princeps à Turcis Viennam obſidentibus, & inde fugatis reportaverat, perterrita ceciderit, quâ forti inpreſſione fœtus tenellulus dicto modo fuit immutatus. Et ſimilem quidem camelo-equum Honslariæ (vulgo Honslaerdyck) haud procul ab Haga Comitum, me vidiſſe memini, qui aures, caudam & gibbũ in dorſo inſtar cameli habebat, reliqua ſui parte equus, nigro colore præditus, cujus tamen monſtroſitatis cauſam à nemine experiri potui; quod ſi conjecturæ locus eſt, ex terrore quoque matris, fortique imaginatione idipſum contigiſſe ſuſpicor.

Hæc cum ita ſe habeant, quis quæſo negabit, imaginationis vires perinde in brutis obſervari ac in homine, & machinalem hanc actionem, admirando artificio ad ſtuporem usque in iis perfici? Neque tamen proinde æſtimativa quædam facultas ipſis tribuenda eſt, ut Peripatetici volunt, quâ ex ſpeciebus ſenſatis non ſenſatas colligant, indeque objecto ſimplici oblato, de hujus bonitate aut malitia compoſitiones tacite efforment, ita quidem, ut conſpecta re horribili, viciſſim exhorreſcant, & ſicubi fœmella utero geſſerit, fœtum ſimilem dehinc excludat. Egregia certe brutorum actio, & horum virorum ratiocinio digniſſima, quæ propediem rationabilium choro illa inſeri efficiet. Et bruta quidem imaginari poſſunt, etiamſi actus æſtimationis, compoſitionis aut diviſionis non

Brutis quamvis imaginẽtur, nulla tribuenda eſt æſtimativa.

Poſſunt enim imaginari ſine illa.

Tres gradus imaginationis.

exerceant, poſſunt enim ut in omni ſenſu, ſic quoque in imaginatione tres diſtincti gradus obſervari; *primus* eſt motus corporeus in cerebro, ſive figura quædam ex illo motu orta, quæ ne quidem rei reſpondet quoad longitudinem, latitudinem &c. ut idea ſolis & lunæ aliorumque objectorum. *Secundo* mens ſe adplicat ad iſtam figuram, & inde capit occaſionem, imaginem intellectualem ſeu ideam formandi. Denique *tertio* de illa judicat. Prior gradus eſt brutis cum hominibus communis, ſecundus & tertius ad ſolum hominem mente præditum pertinent. In brutis

modus imaginădi brutorum

enim ſolus ſpirituum animalium ab exterioribus ad interiora cerebri motus, (quem ſi animæ ſenſitivæ tribuere velis, non uſque adeo refragabor) quo aliquando veſtigia jã impreſſa repetuntur, & filamenta interiora, ſpiritusq; in iis hoſpitantes pariter ut tum agitantur, ſufficit ad imaginationem, ejusque effectus producendos, in homine

quomodo differat ab imaginatione hominũ?

verò actus iſte, prout anima de illo judicat, nunc ſenſus, nunc imaginatio dicitur: imo in brutis ſufficit, quod nudus iſte ſpirituum motus, ſi violentus evadat, ex graviore impreſſione etiam in brutorum fœtibus mutationes producat. Atq; ex hoc ipſo fundamento *Ariſtoteles* imaginationem in rationalem & ſenſitivam, cujus poſterioris etiam belluas participes facit, dividit. (*uuu*)

De ſenſu brutorum

Hoc ipſo verò loco, commodam nactus de ſenſu brutorum agendi occaſionem, Pauca de eadem materia ſubjungam. Et removenda ſtatim eſt falſa iſta hominum perſuaſio, *Carteſium* brutis denegaſſe ſenſum, is enim mentis à corpore diſtinctionem, evidentioribus argumentis oſtendens, ſucceſſoribus ejus, & inprimis *Antonio le Grand* occaſionem præbuit, priſtinam *Gometii Pereiræ* hac de re ſententiam recoquendi, & peculiari tractatu (*vvv*) firmioribus ratiociniis ſtabiliendi. Quamvis enim *Pereira* (*www*) primus fuerit, cui ſenſus brutis denegaverit, ſilentio tamen preſſit rationes & principia ex quib9 veritas iſta deduci poſſet, *Carteſius* vero eſſentiã animæ no-
ſtræ

(*uuu*) de anim, l. 3. cap. X. T. 57. p. m. 1424. (*vvv*) Tr. de carent. ſenſuũ in brutis. (*www*) Tr. quã Antonian. Magar. inſcr.

ſtræ in aprico ponendo, differentiam nos inter & beſtias oſtendit quidem, ſed nullam prorſus fecit applicationẽ ſuorum principiorũ ad veritatem iſtam particularem, neq; ad objectiones quas moveri poſſe facile prævidere potuiſſet, reſpondit, neq; etiam conſequentias periculoſas & ridiculas opinionis contrariæ in medium produxit, ſed hæc omnia diſcipulis ſuis reliquit, adeo ut dogma iſtud; bruta non ſentire, *Carteſianis* potius quam ipſi *Carteſio* ſit adſcribendum. Et ſanè ſi totam hanc controverſiam abſq; præjudiciis intueamur, & ad animum modo revocemus in quo mentis noſtræ & corporis eſſentia conſiſtat, & differentiam ſubſtantiæ cogitantis & corporeæ expendamus, videbimus nos non poſſe brutis tribuere ſenſus proprie dictos, perceptionẽ, cogitationes, niſi inſimul ipſis tribuere velimus animam ratione præditã, immaterialem, & conſequenter immortalem; aut niſi ſtatuamus cogitationem cadere in materiam, quod cum utrumque maximè abſurdum ſit, *author* quidam *anonymus*, natione *Gallus* brutis ſenſus denegantem ſententiam, vero magis eſſe ſimilem dicit, quod explicari nequeat, quale ſit illud principium cognoſcens, tùm quod actuum quos bruta edunt varietas ad accuratam proportionem, qua organa ipſorum cum objectis ſenſuum conveniunt, ad temperamenti fibrarumque cerebri diverſitatem, & ſpirituum animalium naturam commode referantur; quamvis idem author paulo ante docu erat, nihil abſurdi ſtatui, ſi quis brutorum animam cognitionis capacem eſſe ſtatuat. (xxx) Miror profecto temeritatem *Hieronymi Rorarii*, qui variis exemplis perſuadere nobis conatur, quod *animalia bruta ratione utantur melius quam homines*, & cum hoc ipſum argumentum oratorie magis quã philoſophice pertractaverit, non ex animi ſententia loquutum fuiſſe, ſed exemplis brutorum ipſos homines in pudorem conjicere voluiſſe, imo ethicum magis quam phyſicum hunc tractatum eſſe ſuſpicor; quod ſi ex animi ſententia ſit loquutus, viderit ipſe cum ſuis aſſeclis, quibus propriam exellentiam & decus

Bruta nõ ſentire eſt dogma Carteſianorũ, non Carteſii

Brutis nõ poteſt tribui ſenſus propriè dictus &c.

(xxx) Tr. le monde naiſſant. p. 1. Ed: Ultraj:

cus adeo proſtituêre lubet; ne ſe pares faciendo brutis, & tam exigua diſtantia ab illis ſe jungendo, etiam juſto Dei judicio paulatim fiant quod eſſe volunt, *ſicut equus & mulus quibus non eſt; intellectus.(yyy)*

Tres gradus ſenſuum. Nos circa hanc materiam ita ſtatuimus, dari tres ſenſuū gradus, *primo* motum organi, vel ſimplicem receptionem, *ſecundo* rei quæ organum movet perceptionem, denique *tertio* judicium. *primus competit brutis* Primum iſtum ſenſationis gradum brutis nemo denegaverit, quo ſenſu brutis ſenſus non eſſe denegandos docet *Wittichius*: (zzz) ſed hic ipſe actus eſt mere corporeus, corp9 enim non poteſt eſſe cauſa operationum intellectualiū, ſiquidem percipere ſit intelligere & intelligere congitare, cogitatio verò materiæ tribui nequit neque ut eſſentia, neque ut proprietas, nam ſic competeret omni materiæ, erit ergo modus materiam afficiens, cum quartum non detur: hæc verò eſt modi indoles, ut licet ſubjectum absq; modo intelligi queant, non autem viceverſa modus absque ſubjecto, concipere autem poſſum cogitationem removendo imò negando omnem ſubſtentiam corpoream, adeoq; cogitatio non erit modus ſubſtantiæ corporeæ, ut rectè philoſophatur ſupra nobis laudatus *le Grand.(aaaa)*

Bruta nō percipiūt neq; judicium ferunt. Neque alterum ſenſationis gradum perceptionem nempe, brutis quis conceſſerit, hæc enim *Lockio* recte audit prima mentis facultas, quæ circa ideas noſtras verſatur, & prima atque ſimpliciſſima idea, quæ à reflexione oritur, & à quibusdam dicitur cogitatio in genere. *(bbbb)* Judicium denique ſeu tertium gradum nemo facilè, credo, brutis tribuet, cum ipſi adverſarii illud operationem ſolius mentis eſſe nobiſcum fateantur. Et ut breviter litem hanc dirimã, concedant nobis bruta non percipere nec judicare, nos ipſis facilè largiri volum9 ſentire eadē, ſed ſuo modo, & absq; reflexione, quo poſt varias longomachias & in terminis luſiones omnes eorundem conatus terminantur, & quicquid docent de brutorum perceptione, cognitione &c. tandem *Brutorū animæ im* in hunc tenuem exit ſenſum, *brutorum animas impreſſiones recipere*

(yyy) Pſ. 32. v. 9. (zzz) antiſpinos: p. 177. (aaaa) Tr. citat: p. 32. (bbbb) de intellectu human: p. 49. l. 2. c. 9.

cipere, quod libenter concedimus, verum earum ſibi conſcia eſſe, hoc eſt quod negamus.

preſſiones recipiũt, ſed earum ſibi non ſunt conſcia.

Inſtant autem adverſarii, & ad organa brutorum conſideranda nos ablegant, in quibus cum nullam plane differentiam cum iis quæ in hominibus cernimus, offendamus, maximum ſententiæ ſuæ refugium ponunt: ſed quod pace horum virorum dicere liceat, illa quæ à ſimilitudine organorum ad perceptionem ſumitur argumentandi ratio, ſimili morbo laborat, ac ſi quis à ſimilitudine linguæ in brutis, quam cum lingua humana obtinet, ad loquelam iſtis quo q; tribuendam velit argumentari, quod non valere conſequentiam vocam9. Scio equidẽ authores, nonnullos, & hos inter *Hier. ab Aquapendente* brutis loquelam tribuere, (*cccc*) quibus deſideria ſua ſibi invicem communicare queant, ſed parum ſolida quibus utuntur ratiocinia rem per ſe falſam ſatis reddunt ſuſpectam, ita ut refutandis iis non opus ſit ut inhæreamus. Quod ſi quis *Ulpiani* JCti authoritatem nobis objicere velit, jus nempe naturale eſſe, quod *natura omnia animantia docuit*, citante *Vinnio*; (*dddd*) atque inde animalia bruta rationis quoque capacia eſſe contendat, cum inter illos inter quos jus eſt, inter eos & ratio ſit oporteat, huic reſpondemus cum authore modo citato, abuſivè hæc à ICto. dici, propterea quod quæ juris hujus eſſe dicuntur, ea etiam bruta faciunt, idque cum ſimilitudine quadam ſenſus ac deſiderii humani, ſolo inſtinctu & impetu naturæ. Neque enim hic opus eſt, ut cum H. *Grotio* confugiamus ad principium aliquod intelligens extrinſecum, (*eeee*) quod actiones eorundem regat & dirigat, ſive enim per illud vel Deum, vel miniſtram Dei naturam cum *Gronovio* intelligamus, (*ffff*) res ſane non caret difficultate, ex quâ ſe ipſum haud facilè quis extricaverit: videantur quæ in hunc locum commentatus eſt *Zieglerus*. (*gggg*)

Nec Ulpiani auctoritas contra nos militat.

Nos potius exiſtimamus, actiones brutorum partim dependere à principio extrinſeco, objecto nempè quo move-

(*cccc*) Tr. de loquela brutorum (*dddd*] Comm: in inſtit: jmper: l. 1. 2. p. 11. (*eeee*) de J. B. ac. P. proleg: p. 8. p. 10. (*fff*) comm: ad Hug: Grot: de jur: B. & P. p, 11. (*gggg*) not: in H. Grot: de

movetur organum, partim vero ab intrinſeco, motu nempè ſpirituum & artificioſa partium textura, unde commodè comparantur cum automatis, quæ ſane comparatio ipſi placuit *Ariſtoteli*, ille enim automatum inſtrumenta nervorum, oſſium & vertebrarum naturam habere, & quemadmodum illa parvo moventur pulſu, & exigua facta mutatione diverſimode impelluntur, ut navigia moto clavo, ſic etiã animalia moveri aſſerit. (*hhhh*) Et quid quæſo vetat, quo minus bruta animantia cum automatis quodammodo comparare liceat? quod ſi enim homines artificio ſuo machinas hinc inde discurrentes, variasque geſticulationes perficientes efficere poſſunt, quale quid de ferrea ſtatua, quæ tam affabre erat facta, quod per varios anfractus ad Regem Marocco accedere potuerit, ut pro artifice ſuo libertatem flexis genub9, libello ſupplici imploraret, imò ipſam per eandem viam rediiſſe legimus; (*iiii*) cur Deo omnipotenti poteſtatem denegamus brutis tribuendi motum & facultatem varias edendi actiones, absque rectore aliquo rationali & intelligente, ex ſola artificioſiſſima partium ſtructura & motu liquoris nervei, aut ſi mavis ſpirituum animalium profluentes: quod ſi ad inſtinctum naturalem hæc referre placeat, non tamen eo cum D. *de la Chambre* delabi oportet, ut ſtatuamus, inſtinctum naturæ conjunctum eſſe cum ratione; (*kkkk*) cum omnia per ſolum ſpitituum impulſum & organorum fabricam felicius explicentur. Et quis quæſo brutis cognitionem, perceptionem, electionẽ tribuet, cum omnes eorum actiones non ſpontaneæ ſed coactæ ſint, plagis, verberibus, fame & inedia aut aliis vehementioribus organorum corporeorum motibus excitatæ? Hinc appoſitè *Perſius*:

Actiones brutorum à duplici principio dependet

comparatio brutorum cum machinis

Quis expedivit Pſittaco ſuum χαῖρε,
Picasque docuit noſtra verba conari?
Magiſter artis, ingeniique largitor
Venter, negatas artifex edi voces. (*llll*)

TANTUM.

J. B. ac P. libros, p. 5. (*hhhh*) de anim: mot: c. 7. (*iiii*) Nic: à Waſſenaer hiſt. T. 5. ad An. 1623. (*kkkk*) dans le charactere des paſſions, p. 578. (*llll*) In prolog. Satyr.